

Acta^a sunt hec in oppido Bunnensi in domo domini Iohannis de Bunna canonici Bunnensis, quam inhabitabat ipse dominus archiepiscopus Coloniensis, sub anno, indictione, mense et die suprascriptis, presentibus nobilibus viris Symone de Spanheim et Iohanne de Nazzowe comitibus necnon viris venerabilibus et discretis dominis Gerhardo de Virnenburg scolastico Coloniensi, Henrico eius fratre preposito Bunnensi, Heidenrico preposito sancti Severini Coloniensis et magistro Engelberto dicto Franzeis archidyacono Leodiensis ecclesiarum, testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Iohannes quondam Gerlaci dictus Certamen clericus Spirensis publicus apostolica auctoritate notarius, quia premissis presentationi et publicationi suprascriptorum instrumentorum coram prefato domino . . archiepiscopo Coloniensi necnon monicioni et requisicioni ipsius per prefatum fratrem Wernherum de Wintrich nomine procuratorio virtute huiusmodi instrumentorum factis una cum testibus suprascriptis presens interfui ac de mandato ipsius fratris Wernheri ipsa instrumenta in presencia dominorum . . archiepiscopi et testium predictorum legi et publicavi, sicut superius est expressum, hoc instrumentum publicum manu mea conscriptum inde confeci, quod meo signo solito et consueto signavi, vocatus ad hoc specialiter et rogatus.
(S. N.)

XXXV. Dieselben Verhandlungen wie in n. XXXIV. Notariatsinstrument über dieselbe Ueberreichung, zugleich über die Antwort und ein entsprechendes Mandat des Erzbischofs von Köln an den Abt von Cornelimünster von Nov. 2. 1314 Nov. 20.

Or. Berlin, Geheimes Staatsarchiv 275, 7.
Nach Abschrift von Wilhelm Wattenbach.

In Dei nomine amen.

Notum sit universis per hoc presens publicum instrumentum, quod anno nativitatis dominice millesimo trecentesimo quartodecimo, indictione terciadecima, mensis Novembris die vicesima in nostrum tabellionum testiumque subscriptorum presentia propter hoc personaliter constitutus vir religiosus frater^b Wernherus dictus de Wintrich ordinis hospitalis sancti Iohannis Iherosolimitani domus Treverensis duo instrumenta publica, manibus et signis

a) Mit hellerer Tinte.

b) Folgt . . Or., wie öfters.